

quo ad confessionem peragendam ibidem versari solent, in tertio autem requiretur aliqua positiva fictio confessionis.

**898. IV. De causis excusantibus ab hac denuntiatione facienda, haec potissimum adverte :**

1º Excusatur qui rationabiliter e denuntiatione sibi timet grave damnum in vita, fama, rebus temporalibus, puta si puella valde verecunda sollicitata fuisse a tute qui omnia ejus bona administraret. (Frassinetti, II. p. 271) Ecclesia enim leges suas non urget cum gravi incommodo per accidens adveniente. Attamen, si simul timeretur, ex omissa denuntiatione, animarum pernicies vel grave scandalum (ut crebro contingat), ratio boni communis privato damno praevaleret. (Ball. P. n. 1141)

2º Nemo excusatur a facienda denuntiatione, eo quod eam judicialiter probare nequeat : nam si talis probatio requireretur, fere numquam denuntiandum esset.

3º A facienda denuntiatione non excusat ratio quod sollicitatio jam a longo tempore contigit. Nam in Const. *Sacr. Poenit.* diserte dicitur facienda " etiamsi longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluxerit. " Quid autem, si insuper constat eum qui sollicitavit, prorsus emendatum esse ? Faciendam esse denuntiationem communiter aiunt recentiores, S. Alph. n. (686) secuti, qui hanc sententiam absolute probabilem judicat. Ratio praecipua affertur : quia Pontifex, magis quam emendationem rei, ejus punitionem intendit, ad damnum Ecclesiae reparandum et ad resarcendum scandalum. Reaperte haec sententia tenenda videtur in plerisque casibus : nam raro indicia emendationis talia erunt ut plenam securitatem praebant, ac proinde non tolletur certo periculum bono communi imminens : quod prosus requiri videtur. Attamen si quando, ob plures annos a confessario qui olim sollicitavit in conspicua virtute actos, morali certitudine de plena emendatione constaret, opinamur probabiliter omitti posse denuntiationem. Ita enim censent multi AA. quos allegat S. Alph. (l. c.) et videtur sequi D'Annib. (III. n. 368. nota 28) Ratio eorum est : quia finis denuntiationis est emendatio rei et ablacio damni, quibus jam obtentis, cessat finis legis praecipius et, consequenter, etiam lex naturalis denuntiationis, quae principaliter respicit emendationem ; nec potest lex positiva ejus ordinem invertere.

4º Manet obligatio denuntiandi, etiamsi denuntiandus jam fuit ob sollicitationem alterius convictus et punitus, ut constat e decreto S. Inqu. an. 1661. (n. 13) A fortiori idem dicendum si fuit tantum accusatus, sed non convictus, vel si post denuntiationem rursus relapsus est. (Ball. P. n. 1130)

5º Sollicitati in locis Missionum excusantur a denuntiatione facienda, si Ordinarium sine gravi incommodo adire nequeant. (S. Inqu. 22 Jan. 1727; Coll. P. F. n. 941) Sed si incommodum istud cessaret, hac obligatione adstringerentur.

**399. V. Confessarii sub gravi tenentur monere poenitentes de obligatione denuntiandi** sacerdotes sollicitantes, etiamsi isti poenitentes in bona fide versentur. (Instr. an. 1867. n. 3) Monendi sunt etiam ii qui denuntiationem recusatur videantur (S. Alph. n. 694) : nam, cum hic agatur de vitando gravissimo damno quod christiana reipublicae ex hujusmodi facinore immineat, praevalet commune bonum privato, ac proinde monitio facienda est etiam cum tenuissima spe successus. Haec autem haberi potest, etiamsi initio prorsus denegatur consensus : saepe enim salutaris timor incurrendae censurae post aliquod tempus aversio nem denuntiationis facienda superabit.

Attamen quandoque illam monitionem omitti posse probabile est : nempe quando damnum commune jam non imminet, puta quia confessarius jam ob surditatem nullas confessiones audit, praevidebat autem poenitentem potius in peccato mansurum esse quam denuntiationem peragat. (Ball. P. n. 1152) Constat enim quandoque Ecclesiam dispensare ab hac obligatione, ac proinde dici nequit eam semper bono communi exigi : nam si postularetur semper jure naturae, R. P. numquam eam remittere posset. Pariter ad vitandum scandalum omitti posset monitio personae simplicis, quae, ob animi candorem, sollicitationem non intellexisset : quamquam, ex resp. S. Inqu. (11 Maii 1707), ipsa ad denuntiationem tenetur, postquam notitiam praeteritae sollicitationis acquisivit. (Buccer. l. c. n. 26)

**VI. Quando certo constat poenitentes teneri ad denuntiationem faciendam, confessarius eos absolvere nequit** " nisi prius, denuntiationem ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti judici. vel saltem se, cum primum poterunt, delaturos spondeant ac promittant. " (Const. *Sacr. Poenit.*) Probabilius autem verba illa *cum primum* intellegenda sunt de denuntiatione facienda intra mensem a die cognitae obligationis computandum. (S. Alph. n. 693) Quodsi poenitens intra mensem denuntiationem neglexerit sive culpabiliter omiserit, incurrit excommunicationem nemini reservatam (n. 610) : a qua proinde per quemlibet confessarium absvolvi potest, dummodo serio promittat se quamprimum denuntiaturum esse. (D'Annib. III. n. 369)

**VII. Confessarius qui sollicitavit non tenetur monere poenitentem ut ipsum denuntiet.** Nam, in cit. Const. Gregor. XV, confessarii jubentur

tantum " ut suos poenitentes quos noverint fuisse *ab aliis* sollicitatos moneant. „ At si poenitens aliunde novit se ad denuntiandum teneri, nequit absolves a confessario sollicitante, nisi cum onere denuntiationis facienda. Constat e generali ratione: non posse absolves qui detrectent exequi gravem quamdam obligationem sibi notam, et e damnata ab Alex. VII prop. 7<sup>a</sup>: " Modus evitandi obligationem denuntianda sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante; hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi. „ Cfr. Ferraris, Bibl. can. v. *Sollicitatio*, n. 59 seqq.

**400. VIII.** De modo quo denuntiatio illa facienda est, notanda sunt sequentia:

1<sup>o</sup> Denuntiatio facienda est Ordinario loci in quo facta est sollicitatio, etiamsi agatur de confessario regulari vel alias dioecesis. (Gregor. XV, Const. cit.) Cum hodie extra Romam jam nullibi vigeat S. Inquisitio, non est cur de Inquisitoribus hic dicatur.

2<sup>o</sup> Requiritur denuntiatio *judicialis*, quam proinde persona sollicitata personaliter peragere debet coram episcopo ejusve delegato. Attamen, si gravissimis difficultatibus impedianter quominus hoc perficere ipsa possit (ut crebro in praxi contingat), tunc vel per se vel per epistolam vel per aliam personam sibi benevisam, suum adeat Ordinarium vel S. Poenitent. aut S. Inqu., expositis omnibus circumstantiis, et deinde se gerat juxta instructionem quam erit acceptura. (Instr. S. Inqu. an. 1867, n. 7) Cum hae litterae non sint nisi inchoatio denuntiationis, cavendum est ne iisdem inutiliter et cum periculo revelationis apponatur nomen sacerdotis sollicitantis; denuntians vero proprium nomen locumque domicilii adscribat oportet, ut possit Ordinarius ei mandata sua transmittere; denuntiationes enim anonymae nullam vim habent, ut e rei natura et Instr. cit. (n. 6) manifestum est. Saepe Ordinarius committet confessario denuntiantis, praesertim si hic per illum ad episcopum recurrit, ut ejus denuntiationem sive intra, sive extra confessionem recipiat, sine interventu notarii ecclesiastici, qui in denuntiacione judiciali requireretur. De ordine in examine judiciali servando, S. Inqu. Instructionem 20 Jul. 1890 edidit. (Coll. P. F. n. 950) Modum recipiendi denuntiationem in confessionali exponit Berardi. (op. cit. n. 147 seqq.)

3<sup>o</sup> Fieri potest ut persona sollicitata neque personaliter episcopum adire, neque ad eum litteras dare possit, ex. gr. quia scribere nescit. In hoc casu non tenetur confessarius ad denuntiationem faciendam pro poenitente, quae hoc officium ab eo postularet: quia res est molestius plena. Obligatio exsurgere posset tantum si, in adjunctis utique valde rariss, nullum aliud medium suppeteret avertendi grave damnum publicum. (S. Alph. n. 699) Recusante autem confessario, non videtur

poenitens obligari ad alium adeundum: nam, cum etiam iste recusare posset, tertius vel quartus adeundus esset, quod foret onus intolerabile. Hinc hujusmodi persona, durante hac morali impotentia, a denuntiatione facienda excusabitur. (Berardi, op. cit. n. 172)

4<sup>o</sup> Si poenitens nullo impedimento detenus denuntiationem facere omnino recusat, sicut in aliis hujusmodi difficultatibus, laudabiliter confessarius ei operam suam praestabit, consulendo Ordinarium vel S. Sedem pro opportunis remediis, reticito semper poenitentis nomine. (Instr. an. 1867, n. 7) Interdum S. Sedes induxit ut poenitentes nimio timore perculti absque denuntiatione absolverentur.

5<sup>o</sup> Cavendum est confessariis, et multo magis Ordinariis, ne facile credant denuntiantibus mulieribus, siquidem non semel accidit ut calumniis innocentes sacerdotes insectatae sint. Earum sinceritas praesertim suspecta esse debet, quando libenter denuntiationem arripere videntur. Quare ante oculos earum ponantur gravissimum scelus quod tali calumnia patrarent, et severissima lex quam Bened. XIV (Const. *Sacr. Poenit.*) tulit adversus eos qui " innoxios sacerdotes apud ecclesiasticos judices falso sollicitationis insimulant. „ Nempe ibidem R. P. edicit: " Quaecumque persona, quae exsecribili hujusmodi flagitio se inquinaverit, vel per seipsam innocentis confessarios impie calumniando, vel scelesti procurando ut id ab aliis fiat, a quocumque sacerdote, quovis privilegio, auctoritate et dignitate munito, praeterquam a Nobis nostrisque successoribus, nisi in fine vitae et excepto mortis articulo, spe absolutionis obtaindæ, quam Nobis et successoribus praedictis reservamus, perpetuo careat. „ Adverte hanc poenam non incurri a muliere quae sacerdotem de sollicitatione accuset sine denuntiacione judiciali: siquidem loquitur Bened. XIV de insimulantibus *apud ecclesiasticos judices*.

N. B. Omittimus hic agere de poenis a Gregor. XV et Bened. XIV statutis contra sollicitantes: nam, cum sint ferendae sententiae (Instr. S. Inqu. an. 1867, n. 12), ad forum externum pertinent. Juvat scire et prudenter innuere poenitentibus quae nimis formident funestas denuntiationis sua sequelas pro sacerdote quem diligent: praxim S. Inquis., omnibus episcopis propositam (Instr. cit. n. 11), esse ut tantum post tertiam denuntiationem reus in judicium vocetur.